Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2857
Quelle:
Copyright:



tantum annorum, ſed et Epiſcoporum numero laborare. Erronee tamen ibi in primo Exemplo legitur *ſanguinis* pro *ſagiminis*, quod in altero p. 58. rite cautum fuit.

## DCCXC.

370 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 188. f. nitidiſſime ſcriptus, rubricisque enotatus hac inſcriptione gaudet: *Prologus ſequentis opuſculi de diuinis officiis per circulum anni.* Initium eſt: *Ea quę per circulum anni ordine conſtituto in diuinis aguntur officiis* &c. Tractatus hic ad *Rupertum* Abb. *Tuitienſem* O. S. B. clarum Sec. XII. Scriptorem pertinet, a quo miſſum Exemplar ad *Cunonem* Ep. *Ratisbon.* opinatur ſe vidiſſe inter S. *Emmerami* Codices Cl. *Bern. Pezius* T. I. *Theſ. Anecd. Diſſert. Iſagog.* p. 39. Abeſt a *Noſtro* praevia ad *Cunonem Epiſtola*, quae tamen habetur Tractatui praefixa in edit. *Opp. Ruperti Veneta* 1751. T. IV. p. 3. Liber I. ita incipit: *Septem canonicas horas diei non licet a quoquam* &c. A Libro VIII. neglexit Scriba novorum Librorum notare initia. Integrum tamen decurrit Opus usque ad *ultimum* L. XII. Caput *de Nocturnis Lectionibus a menſe Septembri*, quod excidit, *Codice* in haec verba deſinente: *tanto difficilior uictoria*, quae Caput *penult.* in Editis terminant. Lectionis ab his diſcrepantia exigua eſt. Ita in *Praef.* nonniſi *terra purgata* pro *purpurata* habetur. Sed luculentior in Edit. error ſub finem L. VI. c. 36. p. 81. *jam dictum eſt* pro *dicendum eſt.*

In fronte *Cod.* legitur: *Iſte liber pertinet monaſterio beate marie magdalene in franckentall inter ſpiram et wormaciam canonicorum regularium ordinis ſancti auguſtini epiſcopi et doctoris.* Addidit alius: *Dono datus mihi hic liber a curatore preſente priore quia in eadem libraria aliud exemplar habebant.*

## DCCXCI.

Codex membraneus lat. Sec. 386
XII. Folior. 101. 4. probe ſcriptus et rubricis diſtinctus *Liturgicus* eſt, cujus titulus ex his *Prologi* verbis innoteſcit: *Ob hanc cauſam libellum de diuinis officiis ut iuſſiſtis edidi. cui nomen* gemma anime *indidi. quia uidelicet ueluti aurum gemma ornatur. ſic anima diuino officio decoratur.* Autor, qui hic tacetur, eſt *Honorius* Presb. *Auguſtodunenſis*, qui non, ut in *Fabric. Bibl. med. Lat.* circa an. 1300. ſed in confinio Sec. XI. et XII. floruit, et non raro *Solitarii*, quin *Incluſi* nomine venit. Opus noſtrum, quod poſt iteratas Editiones receptum eſt in *PP. Bibliothecas*, et in *Lugd.* T. XX. p. 1046. legitur, incipit ab *Epiſtola Solitariorum*, qua hunc laborem a *Solitario* expetunt, ejusque *Reſponſo. Agmen in Caſtris eterni Regis excubans* &c. et: *Poſtquam chriſto fauente pelagus ſcripturę proſpero curſu in ſumma totius transcucurri* &c. Ad quae verba obſer-